Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-583324-p0001-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-583324-p0002-0

DISPUTATIO JURIDICA

De

# SUCCESSIONIBUS QUÆ AB INTESTATO DEFERUNTUR,

*Quam*

A. D. O. M.

*In celeberrima ad Albim Academia,*

PRÆSIDE

*Viro Clariß. atq; Conſultiß.*

Dn. CHRISTIANO Krembergk/

J. U. D. & Facultatis Juridicæ Aſ-ſeſſore,

*Tueri conabitur*

JOHANN ABRAHAM à Sebottendorff/

Equ. Sil.

*Ad diem 4. Aprilis.*

WITTEBERGÆ,

E Typographéo SALOMONIS AUERBACHII.

ANNO M DC XXVI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-583324-p0003-6

## Continuatio.

*DIctum fuit ſuperius, quod omnis hereditas deferatur, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato. De priori quomodo ſcilicet ex teſtamento hereditas nobis obveniat, præcedentibus aliquot Diſputationibus vidimus; reſtat, ut etiam de poſteriori, quomodo ab inteſtato ad nos devolvatur, agamus.*

### THESIS I.

Duas tantummodo ſucceſſionum ſpecies poſuimus, alteram quæ ex teſtamento, alteram, quæ ab inteſtato (*a*) defertur. Tertiam namque, quam Dd plerique addunt, ſucceſſionem contra teſtamentum (*b*) non agnoſcimus.

(a) *§ fin. Inſt. per quas perſon. nobis acquir. l. 1. C. de hered. petit. Forſter. libr. 1. de ſucceſs. ab inteſtat. c. 7. per tot.* (b) *propter. l. 1. D. de ſuis & legitim. hered. Forſter. d. loc. c. 8.*

### II.

Hereditas itaque quando ex teſtamento defertur, teſtamentaria (*a*) dicitur; quando vero ab inteſtato, legitima (*b*) nominatur.

(a) Ejusque heres teſtamentarius. (b) *t. t. C. de ſuis & legitim. hered. t. t. D. unde legitim. l. is qui heres. 13. D. de acquir. hered. cum l. ſeq. cum ſimil.* Quia à ſola lege dependet, adeoque propter excellentiam ita dicitur, & propriè legitima eſt. *l. lege obvenire. 130. ubi Goddeus. D. de verb. ſignific. l. 3. §. de illo. D. pro ſocio. Donell. libr. 9. Comment. c. 1. Forſter. d. tract. c. 16. Arum, in Exerc. Juſtinian. 11. theſ. 2.*

## III.

Et definitur, quod ſit hereditatis inteſtato (*a*) defuncti lege delata acquiſitio.

(a) Inteſtato vel inteſtatus vocabulum dupliciter potiſſimum accipitur: propriè & impropriè. Propriè duobus modis; 1. aut re ipſa, cum quis omninò teſtamentum non fecit *pr. Inſt. h. t. l. 1. D. de ſuis & legitim. hered. l. 4. C. eod.* aut quia noluit, aut non potuit. 2. Aut Juris intellectu, cum quidem fecit teſtamentum, ſed quod vel ruptum vel irritum eſt factum, ſeu ex quo non eſt adita hereditas. *l. 64. D. de verb. ſignif. l. 1. D. ſi tabb. teſtament. non extab. l. 1. §. hoc interdictum D. de tabb. exhibend. l. ſi quis poſthumos. 9. §. ſed etſi. & §. f. D. de liber. & poſth. hered. inſtit. Donell. dict. c. 1. Forſter. d. tract. libr. 3. c. 3.* Unde quæritur, ſi quis codicillos tantum fecerit, num etiam inteſtatus deceſſiſſe ſit exiſtimandus? ubi affirmativæ ſubſcribimus. *§. 1. ibi, inteſtatus. Inſt. de codicill. l. 8. §. 1. D. de jure codicill. l. 10. D. eod.* Teſtamentum enim vim omnem capit ex inſtitutione heredis, quæ in codicillis fieri; imo neque conditio heredi in teſtamento inſtituto apponi, vel ſubſtitutio adjici poteſt. *§. codicillis. Inſt. de codicill. l. Divi. 6. D. de jure codicill. l. quidam. 27. §. f. D. de condit. inſtit. l. Scævola. 76. D. ad SC. Trebell.* Quod tamen intelligendum eſt de ſubſtitutione directa, cum per fideicommiſſum tum inſtitutio tum ſubſtitutio fieri poſſit. *§. 2. Inſt. de codicill. l. 2. D. eod. Donell. libr. 7. Comm. cap. 19.* Item niſi ſit miles. *l. 19. in pr. l. 36. in pr. D. de teſtament. milit. Zoannet. in tract. de Imper. Roman. n. 23.* cui hoc privilegii loco conceſſum eſt. Impropriè inteſtatus accipitur, qui cum teſtari non poſſet, teſtatus non eſt, veluti impubes, furioſus, prodigus. *l. omnem. C. ad SC. Tertyl. l. 2. §. impuberem. §. ſi mater. D. eod. l. ſciant. C. de legitim. hered. l. pater filium. 14. §. f. D. ad L. Falcid. Forſter. d. tract. libr. 3. c. 4. n. 4. & ſeq. Fachin. libr. 4. Controverſ. c. 74. Becer. claſſ. 2. diſp. 10. theſ. 4.*

## IV.

Hujus ſucceſſionis jura etſi olim ut plurimum confuſa & imperfecta fuere: Juſtinianus tamen Imperator ea in certum ordinem redegit, & totam hanc materiam tribus (*a*) cognationum ordinibus, Deſcendenti-

dentium videlicet, Aſcendentium & (*b*) Collateralium diſtinxit.

(a) Succeſſio enim ab inteſtato ex naturali cognatione ratione ſanguinis cauſam trahit, quæ itidem triplex. (b) Hi enim tantum proponuntur *in Novell. 118. in pr.* ubi conſtitutum eſt, ut cæteræ leges de hac ſucceſſione loquentes ceſſent. In his igitur tribus gradibus conſiſtit legitima ſucceſſio, quæ ratione ſanguinis ſolum nititur.

V.

Omnium itaque primò ad defuncti ſucceſſionem vocantur, Deſcendentes (*a*) ſeu Liberi, ſublatâ qualibet differentia ſexus (*b*) & patriæ poteſtatis: ſive nati ſunt ſive (*c*) naſcituri, ſive primi ſive ulterioris (*d*) gradus.

(a) *arg. l. 42. D. de ſuis & legit. l. 7. §. f. D. ſi tabb. teſtam. nullæ extab.* Quamdiu enim ſuperſunt liberi, omnes alii conſanguinei excluduntur, ſive ſint Aſcendentes ſive collaterales. *§. 1. verſ. ſi quis. Novell. 118. Auth. in ſucceßione. C. de ſuis & legitim.* Idq; de Jure divino. *Levit. c. 27. verſ. 8. Numeror. c. 27. Epiſtol. ad Galat. c. 4. verſ. 7.* naturali; cum omnia, quæcunque noſtra ſunt, liberis noſtris ex voto paremus. *l. pen. §. 2. D. de bonis libert. l. 7. §. f. D. ſi tabb. teſtam.* idque ex debita erga liberos charitate, ut loquitur JC. *in l. nam etſi. 15. D. de inoffic. teſtament.* Civili. *l. 1. §. filius. D. de ſuis & legitim. l. pen. & Auth. in ſucceßione. C. de ſuis & legitim. d. Novell. 118.* Unde hic vivo etiam patre Domini quodammodo bonorum paternorum dicuntur. *l. in ſuis. 11. D. de liber. & poſthum.* Prætorio. *§. ſunt autem. Inſt. de bonor. poſſeß. t. t. D. & C. unde liberi. Valent. Forſter. d. tract. libr. 4. c. 21. n. 12. & ſeq.* & denique Canonico. *c. jus naturale. diſt. 1. c. Raynutius. Extr. de teſtament.* (b) Jure quippe veteri ita conſtitutum erat, ut hereditates potius ad maſculos, quam fœminas deferrentur. *§. item vetuſtas. Inſt. h. t. §. cæterum. Inſt. de legit. agnat. ſucceß. §. ſed hæc. 5. Inſt. de exhered. liber.* Non minor erat differentia inter eos, qui ex filio & ex filia procreabantur. Quæ omnia Juſtinianus correxit, dicens, nullos agnatos admittendos eſſe, quamdiu aliqui liberorum

adſint, quamvis ex fœmina prognati. *l. f. C. de ſuis & legit. hered. d. Novell. 118. c. 1. l. maximum. C. de liber. præterit. l. pen. & ult. C. de legit. hered. l. 11. C. famil. erciſcund.* (c) *§. poſthumi. Inſt. de exhered. liberor. l. 4. C. de legitim. hered.* etiamſi nepos poſt mortem avi ſit conceptus. *Gomez. tom. 1. Var. Reſolut. c. 1. n. 10.* (d) Liberorum enim appellatione inquit JC. filios filiasque, nepotes neptesque cœterique qui ex his deſcendunt, continentur. *l. liberorum. 220. D. de verb. ſignific.* ubi Goddeus & reliqui Dd. *l. lege duodecim tabb. §. hujusmodi. C. de legit. hered. §. ſed ſui. Inſt. de hered. qualit. & different.* Et primi quidem gradus ſi plures iique ſoli ſint, in capita. *arg. l. ut liberi. 17. C. de collation. l. f. C. commun. utriusq. judic. d. Novell. 118. c. 1. Forſter. d. tract. libr. 4. c. 21. concl. 1.* Reliqui verò ſive ſoli ſint, ſive cum liberis primi gradus concurrunt, in ſtirpes jure repræſentationis; cum nepotes & ſequentes plus ex hereditate capere non poſſint, quam parens eorum, ſi in vivis fuiſſet, cepiſſet. *§. cum filius. 6. verſ. & quia filius. Inſt. h. t. d. Novell. 118. c. 1. verſ. ſic tamen. l. 2. C. de ſuis & legitim. l. 8. §. 8. D. de inoffic. teſtam.*

## VI.

Quæ tamen differentiæ ſublatio inter maſculos & fœminas in feudis (*a*) non obtinet: ſicuti me de Jure Saxonico quoad (*b*) utenſilia & res expeditorias liberi æqualiter (*c*) ſuccedunt.

(a) De hoc enim Jure tantum abeſt, ut illud locum habeat, ut etiam fœminæ regulariter à maſculis excludantur. *c. un. §. hoc autem de his qui feudum dare poſſ. c. un. in pr. verſ. ad filias vero de ſucceſſ. feudi. Schneidvvin. in tract. de feudis, p. 6. rubr. de ſucceſſ. fœmin. in feud. n. 5. & 6. Borcholdt. c. 7. n. 35. Vultejus libr. 1. c. 9. n. 25. & 26. Hartmann. Piſtorius libr. 2. quæſt. 34. n. 5. & ſeq.* Niſi vel fœmininum, ſeu à fœmina primo acquiſitum ſit. *c. 1. de natur. ſucceſſ. feudi. c. un. de ſucceſſ. fratr. c. 1. §. fin. de ſucceſſ. feudi. Schrader. in tract. de feudis, p. 7. c. 4. n. 48. Vultejus, c. 9. n. 40. Borcholdt. c. 7. n. 69.* vel eo pacto datum, ut & filia ſuccedat. *c. 1. de his qui feuda dare poſſ. tit. 1. cum ſimil.* Similiter de hoc Jure æqualiter liberi non ſuccedunt in feudo regali. Nam in illo hodie primogenitus, ſi ſit habilis ad ſucceſſionem, nulla

habi-

habita temporis ratione, ſive ante ſive poſt à patre feudum acquiſitum ſit, natus ſuccedit. *c. 1. §. præterea. ubi Dd. de prohibit. feudi alienat. per Frider. Hottomann. Illuſtr. Quæſt. 2. Forſter. d. tract. libr. 4. c. 24. n. 27. & ſeqq.* Ubi forte non abs re quæritur, ſi primogenitus moriatur relicto filio, an hic præferendus ſit patruo ſecundò genito? id quod exiſtimamus *per text. c. 1. §. & quid ſi miles. Conſt. Dn. Lithar. Imp. de feud. non alienand. c. 1. de ſucceſs. fratrum. Tiraquell. de jure primogen. quæſt. 40. n. 12. & 15. Hottomann. Illuſtr. Quæſt. 3. Roſenthal. de feudis, c. 7. concl. 26. lit. p. Forſter. libr. 4. de ſucceſs. c. 20. n. 2. & c. 23. n. 66.* Quod & Aurea Bulla Caroli IV. in Electorum ſucceſſionibus conſtituit. *c. 7. verſ. illo vero non extante Forſter. d. tract. libr. 2. c. 18. n. 15. & libr. 4. c. 23. n. 2. & ſeqq.* (b) In iis enim fœminæ tantum ſuccedunt. *libr. 1.* Landrecht/*art. 27.* Et quidem eorum ſive Geradæ, adeo filii incapaces ſunt, ut ſi filiæ omnesque aliæ cognatæ deſint, ad fiſcum devolvantur, ipſis excluſis. *Schneidvvin. in Comment. Inſt. h. t. de fiſci ſucceſs. n. 17.* (c) In his verò Mares. *libr. 1.* Landrecht/*art. 22.* ubi etiam recenſentur, quæ ad eas pertinent. Weichbild/*art. 25. Klingius, de hered. quæ ab inteſt. defer. rubr. de ſucceſs. ſecundum Jus Saxon. n. 11. Schurer. de hered. ab inteſtat. tit. 4. p. 49. Coler. deciſ. 60. n. 50.*

## VII.

Quæ hactenus dicta ſunt de liberorum ſucceſſione, locum habent ſaltem in naturalibus & legitimis ſimul. Naturales autem tantum, juſtis liberis & uxore non extantibus, patri *(a)* in ſextantem, Matri autem cum *(b)* liberis legitimis in partes viriles ſuccedunt.

(a) Non etiam avo. *l. f. C. de natural. liberis. Novell. 89. c. 12.* (b) *l. 2. in pr. & §. 4. D. ad SC. Orfic.* ubi dicitur, etiamſi mulier ſit famoſa, nihilominus ad legitimam hereditatem liberorum illam eſſe admittendam. Ergo vice verſa & in liberis hoc verum erit, & proinde non aliter ſuccedent, ac ſi ex legitimo nati eſſent matrimonio. *§. noviſſimè. 3. Inſt. de SC. Orfic. l. pen. D. eod. l. ſi quæ illuſtris. 5. C. dict. tit. l. 2. D. unde cognati.* Quomodo etiam Spurii, qui ſpecialiter illi dicuntur, quorum pater eſt incertus & nullus,

propterea quod ex vulgo & promiſcuo ſemine concipiuntur. *§. pen. Inſt. de nuptiis.* matri tantum ſuccedunt. *d. §. noviſſimè. 3. Inſt. de SC. Orfic.* Patrem enim honeſtè demonſtrare non poſſunt. *l. 23. D. de ſtatu homin.* ideoque & rectiſſimè lineæ paternæ & cœterorum aſcendentium ex eadem ſucceſſione privantur. *§. pen. Inſt. de nuptiis. d. l. vulgo. 23. D. de ſtatu homin.* Excipitur tamen fœmina illuſtris, quæ ſi liberos legitimos habeat, Spurii ab ejus ſucceſſione excluduntur. *l. ſi qua illuſtris. 5. C. ad SC. Orfic. l. 2. C. de natur. liberis.*

## VIII.

Inceſtuoſi verò, nefarii & adulterini ab omni omnino, tam teſtamentaria, quam ab inteſtato ſucceſſione arcentur, adeò ut nec alimenta (*b*) iis debeantur.

(a) *§. fin. Auth. Quib. modis natural. effic. legitimi Auth. ex complexu. C. de inceſt. nuptiis. Novell. 12. 34. c. f. Novell. 74. & 89.* Hi enim omnes legum beneficio indigni reputantur, & proinde etiam neque ad ſucceſſiones admittuntur. *Forſter. d. tract. de ſucceſſ. ab inteſt. libr. 6. c. 50. n. 1. & 2.* (b) Id quod de Jure civili extra controverſiam eſt *per text. expreſſ. in d. Auth. ex complexu. C. de inceſt. nupt. Novell. 47. c. 6. & Novell. 89. c. 15.* De Jure vero Canonico etſi illud complures mutatum aſſerant. *Covarr. in tract. de matrimon. p. 2. §. 6. Gail. libr. 2. Obſ. c. 88. n. 4. Teſſaur. deciſ. 211 per tot. cum aliis:* tamen illud negant *per c. venerabilem Extr. Qui filii ſint legitim. Palæott. in tract. de noth. & Spuriis, c. 46. Borcholdt. in c. un. de regal. n. 8. Lopez 1. Animadv. 32.*

## IX.

Liberi quoque legitimi tantum, tàm arrogati (*a*) quàm adoptati in ſpecie ita dicti ad hereditatem patris adoptantis non ſecus ac legitimi & naturales ſimul (*b*) vocantur; ſcilicet in allodialibus, non verò feudalibus.

(a) *§. ſed hodie 2. Inſt. de adopt. §. ſed ea omnia. verſ. invenimus. Inſt. h. t. l. pen. §. ſed ne. C. de adopt. Forſter. d. tract. libr. 5. c. 2. n. 1.* (b) *d. l. pen. l. ſi te parens. C. de ſuis & legitur.* Et ſic utriuſque & natura-

lis &

lis & legitimi patris hereditatem conſequuntur. *d. §. ſed hodie. 2. d. §. ſed ea omnia. Tiraquell. ad l. ſi unquam. 8. verb. ſuſceperit. n. 16. C. de revocand. donat. & de jure primogenitur. quæſt. 48. Heigius ad tit. Inſt. h. de ſucceß. legitim. c. 5. ſub ord. 1. n. 88. P. Gregor. libr. 45. ſyntagm. c. 5.* (c) *c. 1. §. adoptivus. ſi de feudo defunct. content. ſit. 2. Feud. 26. Schrader. in tract. feudal. p. 2. c. 5. n. 19. Vultejus libr. 1. c. 9. n. 90. Menoch. Conſ. 503. n. 21. vol. 6. Forſter. in d. tract. libr. 5. c. 5.*

## X.

Tandem etiam ſuccedunt naturales tantum, modò poſtea fuerint (*a*) legitimati. Et quidem de iis, qui per ſubſequens matrimonium (*b*) legitimi effecti ſunt, res omni difficultate caret.

(a) Hi enim inter ſuos heredes numerantur. *§. 1. Inſt. h. t. Dd. commun. in §. fin. Inſt. de nuptiis.* (b) Omnia enim Jura legitimorum filiorum conſequuntur, nomen, ordinem, &c. *l. 6. l. 7. C. de natural. liber. §. f. Auth. Quib. modis effic. ſui.*; ſiquidem matrimonium ſequens omnia præcedentia vitia purgat, ut eſt *gloß. in c. innotuit. & ibi Panormit. juncto text. Extr. de elect. & in c. qualis. verb. deſponſato. 30. q. 5.* retrotrahiturque ad tempus nativitatis filiorum; & perinde habetur, ac ſi ante eorum nativitatem contractum eſſet. Et quidem legitimatio fieri poteſt ab eo, qui in articulo mortis conſtitutus eſt. Hic enim non tam contrahit, quam declarat, ſe maritalem affectionem erga concubinam habuiſſe. *l. cum quis. 14. C. de natural. liberis. Novell. 117. c. 2. Anton. de Roſell. in tract. de legitim. libr. 1. de cauſa efficiente. n. 32. & ſeqq. Gail. libr. 2. Obſ. Pract. 141. n. 7. Borcholdt. de gradibus. c. de ſucceß. liberor. per ſubſeq. matrimon. legit. mihi fol. 196.* etiam interveniente matrimonio medio. *arg. l. 20. D. ſoluto matrimon. l. 36. §. 41. D. de Jure dotium. Zaſius in tract. feud. p. 8. n. 76.* ſine dotalibus inſtrumentis. Non enim doti hoc beneficium tribuitur, ſed conjunctioni legitimæ, quæ conſenſu perficitur. *l. nuptias. 30. D. de regul. Juris.* & affectioni maritali. *l. 11. in pr. C. de repudiis. c. tanta. Extr. Qui filii ſint legitim. Donell. libr. 2. Comm. c. 21. Cujacius, libr. 13. Obſ. 4. Forſter. diſp. 5. theſ. 26.* Non tamen ſuccedunt in feudis. *c. 1. §. naturales. ſi de feudo defuncti content. ſit inter Domin. &*

 agnat.

*agnat.*; cum ſplendor familiæ illud admittere non videatur. *Vultejus in tract. de feudis, c. 9. n. 91.* licet contrarium obſervari teſtentur. *Hartm. Piſtoris libr. 2. quæſt. 41. Borcholdt. de feudis, c. 7. n. 48. Gail. libr. 2. Obſ. Pract. 141. n. 2. & 3. Forſter. ſæpe dict. tract. de ſucceſſ. ab inteſt. c. 29. n. 11.* Similiter nec in legitimatis per ſubſequens matrimonium Jus primogenituræ obtinet; cum legitimatio non retrotrahatur in præjudicium alterius. *Novell. 74. c. 2. c. quamvis. 8. Extr. de reſcript.* Eſt enim fictio quædam, quæ in præjudicium tertii non fit. *arg. l. 20. D. ſoluto matrimon.* Et juſti filii hæreditas ſemel eſſe incepit. §. *ſed ſui. Inſt. de hered. qualit. & differ.* quæ illi auferri non debet. *l. 11. D. de regul. Juris. Tiraquell. de Jure primogen. q. 34. Cotta, in Memorab. verb. Primogenitus. Gail. d. libr. 2. Obſ. Pract. 141. n. 3. Forſter. d. tract. libr. 6. c. 24.*

## XI.

Legitimati verò per reſcriptum (*a*) Principis, ſuccedunt tum demum, quando filii Naturales & legitimi ſimul non ſunt. Et denique per oblationem (*b*) Curiæ ſuccedunt patri cum aliis legitimè natis: ſic tamen, (*c*) ut non plus habeant, quam veri legitimi.

(a) §. *illud tamen. Auth. Quib. modis natur. effic. ſui. Novell. 74. c. 1. & 2. Nicol. de Vbald. in tract. de ſucceſſ. ab inteſtat. p. 1. n. 80. & ſeqq. Schneidvvin. in Comm. ad h. t. Inſt. de 1. Ordin. ſucced. n. 9.* Sicuti nec in feudis *d. c. un.* §. *naturales. & ibi Dd. ſi de feudo defuncti content.* Princeps enim non poteſt alicui jus ſuum auferre. *Matthæus de Afflict. in tract. de Jure Protimiſ.* §. *niſi quis. n. 21. per ibi allegat.* ideoque in reſtituendo aliquem natalibus ſemper conſenſus ejus requiritur, qui ex ea reſtitutione lædi poteſt. *l. 2. l. 4. & 5. de natal. reſtit. Gail. libr. 2. Obſ. Pract. c. 142. n. 15. & c. 140. in f. Hartm. Piſtoris, libr. 2. part. poſt. q. 40. n. 24. & ſeq. Borcholdt. de feudis, c. 7. p. 2. n. 54. Vultejus, d. c. 9. n. 93.* (b) §. *primus itaq; modus. &* §. *ſi quis igitur. d. Auth. Quibus mod. natural. effic. ſui.* §. *f. Inſt. de nuptiis.* §. *quibus. Inſt. h. t. Forſter. d. tract. libr. 6. c. 40.* (c) §. *Et quoniam. in d. auth. Forſter. d. libr. 6. c. 43. n. 1.* Et hactenus de gradu primo, qui eſt Deſcendentium.

## XII.

Secundus eſt Aſcendentium. Deficientibus enim libe-

**liberis parentes utriuſque (*a*) ſexus non extantibus fratribus, ſalva tamen gradus prærogativa (*b*) ad ſucceſſionem liberorum, nulla obſervata diſtinctione inter bona paterna & materna (*c*) vocantur.**

(a) Quemadmodum enim liberis hereditas parentum propter naturalem eorundem erga liberos charitatem naturæ ordine debetur: ſic ratione pietatis commiſerationis & ſolatii ad hereditatem liberorum amiſſorum ordine mortalitatis turbato vocantur parentes. *l.nam etſi.15.D. de inoff.teſtament. l.ſcripto.7. §.fin.D ſi tabb.teſtament.nullæ extab.* (b) *§.fin.Inſt.de ſucceß.cognat. Novell.118.c.2. Auth. defuncto. C. ad SC. Tertull.* Non enim locum habet jus repræſentationis in linea aſcendente, ut rectè ſtatuit Mynſing *ad §.cum filius.n.5.Inſt.h.t.Schneidvvin. in Comm. eod. ordine ſucced. 2.n.21.Donell.libr.9.Comm.c.3.verſ.20. Borcholdt. in tract. de gradib. p.208. Forſter.d.tract.libr.7.c.4.n.23.concl.5.* (c) *d.Novell.118.c.2. l. ſed ſi plures.10. §.filio D.de vulgar. & pupill ſubſtit. l. f. D. de inoffic. teſtament.* Alias ſequeretur, quod etiam impares gradu aſcendentes admitterentur, quod eſſet contra d. Novellam. *Mynſinger.cent.6.Obſ.55. Forſter. d.tract.libr.7.c.4.n.6.& ſeq. Fachineus libr.6. Controverſ. c.6.*

## XIII.

**Quod ſi cum parentibus concurrant defuncti fratres ſororesve utrinque (*a*) conjuncti, pro capitum numero in æquales partes fit diviſio. Conſanguinei verò (*b*) & uterini fratres cum aſcendentibus non ſuccedunt.**

(a) Nec non defunctorum fratrum ſororumque liberi. *d. Novell.118.c.2.Novell.127.c.1. Auth.ceſſante C. de legit. hered. Borcholdt. de gradib. fol. 223.* Parentum autem nomine hic accipimus non tantum patrem & matrem, ſed etiam avum aviam, proavum proaviam & deinceps; modo eos nemo antecedat tempore delatæ hereditatis. *l.1.§.proximus. D. unde cognati. Bart. & Dd. in Auth. defuncto.C. ad SC.Tertull.Covarruv.de ſucceß. ab inteſtat. n. 5. Schneidvvin. d. 2. ordin.ſucced.n.25.& duob.ſeqq. VVeſembec. in Paratitl. D. de gradib. & affin.n.15. Mynſing.cent.6. Obſ.41.in pr. Fachineus. libr.6.Controverſ.c.7.Forſter.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-583324-p0013-1

ſter.d.libr.7.c.6.n.1. (b) d.Novell.118.c.2. ubi ſolos fratres utrinq; conjunctos præponit fratribus & ſororibus, ex uno tantum latere conjunctis. *Schneidvvin.in Comm.Inſt. h.t.in 2.ordin.ſuccedend.n.30. Fachin.libr.6.Controverſ.c.8. VVurmſer.Obſ.tit.41.Obſ.5.& 6. Forſter. d. tract. libr. 7. c. 8.*

## XIV.

Deficientibus deniq; & Deſcendentibus & Aſcendentibus tertio gradu vocantur fratres & ſorores ex utroque ſanguine (*a*) juncti ad defuncti fratris hereditatem in capita. Sin verò concurrant ſimul fratris prædefuncti filii, in ſtirpes jure (*b*) repræſentationis veniunt.

(a) *Auth.ceſſante.C. de ſuis & legit. hered. Novell. 118. c. 3. in pr. & verſ.Si igitur.* Duo enim vincula fortius ligant quàm unum. *§. ſed hodie. Inſt.de nuptiis.* (b) *d.Novell.118.c.3.& d. Auth.ceſſante.* Nam cum nepotes in ulteriori ſint conſtituti gradu, parentum ſuorum perſonas ſuſtinent. *d.§.ſi igitur.verſ. Hujusmodi.* eamq; partem accipiunt ſolum, quam pater ipſorum, ſi ſuperſtes eſſet, habiturus fuiſſet. Ex quo ſequitur, fratrum filios excludere fratres ex uno tantum latere conjunctos. *d. c.3.*

## XV.

Soli vero fratrum ante mortuorum liberi ſi ſuperſint, & patruus moriatur absq; herede alio, quærebatur olim graviſſimè, an in ſtirpes an in capita ſuccederent? quod poſterius juſtiſſimè à Carolo V. invictiſſimo Imperatore approbatum, *& in Comitiis Spirenſibus Anno 1539.* conſtitutum eſt.

*Propter l. 1. §. interdum. D. ſi pars hered. petat. l. 2. §. hereditas. D.de ſuis & legitim.* quod cum mutatum non ſit, præſumitur durare. *arg.l.ſancimus.C.de teſtament.* Accedit, quod hereditas inter eos, qui æqualiter diſtant, æqualiter ſit dividenda. *d. l. 2. §. hereditas.* Fratrum autem filii æquali à teſtatore gradu diſtant. *Schneidvvin. in Comm.h.t.in 3.ordin.ſuccedend.n.29. Hottoman.Illuſtr. Quæſt.14. Vaudus, libr.1.Quæſt.24. Donell.libr.9.Comment.c.4. Borcholdt.de feudis, c. 7. n. 29.*

VVeſem-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-583324-p0014-7

*VVeſembec.ad.* §.*cum filius.Inſt. h.t. Fachin. libr.6. Controv. c. 3. Forſter. d. tract. libr.8. c. 3.*

## XVI.

Quos ſequuntur ex uno tantum latere (*a*) conjuncti: ita tamen, ut conſanguinei in bonis paternis; uterini vero (*b*) in maternis: in aliunde autem quæſitis utrique pariter (*c*) admittantur.

(a) *Auth.poſt fratres autem.C.de legit.hered.Novell.118.d.c. 3. verſ. his autem non exiſtentibus.Donell.libr.9.Comm.c.4. Forſter. d. tract. libr.8. c.8.n.1. Heigius in Comm.Inſt.h.t.de legitim. ſucceſs. c.5. ſub 3.ordine ſucceſs. n.28.* (b) Propter jus agnationis & cognationis. Unde regula illa Dd. Paterna paternis, materna maternis deferri. (c) *Novell.84. c.1.* §. *plurima namq; l.de emancipatis.13.*§.*f.C.de legitim.hered.Donell.libr. 9.Comm.d.c.4.Cujac.ad d.Novell.84.Borcholdt.de feudis, p.2.c.7.n.31. & in tract. de gradib. p.238.* Etſi autem illa diſtinctio in foro noſtro non obſervetur. *p.3.Conſt.14.ubi Moller.n.2.* tamen ut ibi addit, in Scabinatu Lipſenſi id obſervari ſolet, ut ſi bona commodam diviſionem non recipiant, illis liberis potius ea adjudicentur, à quorum parentibus vel majoribus illa provenerint. *n.fin.ubi Roſa lit.b.*

## XVII.

Poſt hos deniq; deinceps omnes ex latere (*a*) cognati & agnati ſecundum cujusque gradus prærogativam, ut proximiores remotiores excludant, uſque in infinitum (*b*) admittuntur.

(a) *D.Novell.118.c.3.in f.Auth.poſt fratres fratrumq; filios.C.de legitim.hered.* (b) *l.2.*§.*1.verb. in infinitum. D. de ſuis & legit.* §. *cæterum. ibi, etiamſi longiſſimo gradu ſint.Inſt.de legit. cognat. ſucceſs. Novell. 118. d. c. 3. verb.omnes deinceps.* Cur propinqui etiam remotioris gradus non admittantur potius, quam fiſcus alioquin ſucceſſurus, ut ait Weſembecius *in* §.*f.Inſt.de ſucceſs.cognat.ubi Borcholdt.Donell.lib.9.Comm. c.4.verſ.Quæſitum eſt. Förſter.d.tract.de ſucceſs. c.9. n. 2. Arum. Exercit. 11. theſ.13.* Id quod etiam jure feudali obtinet. *c.1.ibi, in infinitum.de natur.ſucceſs.feudi.c.1.ſi vaſall.feud.priv.cui defer.Dd.in c.1.* §.*hoc quoq; de his qui feud.dare poſs.Duaren.de feudis. c.11. n.16. Sonsbec. p.9. n.84. Covarruv.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-583324-p0015-2

*libr.3.Var.Reſolut.c.5.n.4.Hartm. Piſtoris, libr.2.p.poſter. quæſt.19. Fachineus libr.9.Controverſ.c.27.*

## XVIII.

Tribus autem hiſce gradibus ſive ordinibus omnibus deficientibus conjuges (*a*) ſibi invicem ſuccedunt. Quo caſu pacta dotalia (*b*) ante omnia & conſuetudo ſunt attendenda. Sin vero nulla (*c*) dos interceſſerit, & maritus defunctus dives fuerit, uxor vero ſuperſtes inops, tum marito uxor cum liberis ſuccedit in quartam, ſi ſint tres: in virilem vero ſi plures ſint, & contra idem in marito dicentes.

(a) Olim quidem ſibiipſis prorſus non ſuccedebant, quod nullo planè ſanguine juncti eſſent. *Schneidvvin. in Comm. Inſt. h. t. rubr. de ſucceſs. inter vir. & uxor. n.6. & 7.* Poſtea tamen illud æquitatis ratione correctum eſt, introducta Jure Prætorio pro ipſis bonorum poſſeſſione. §. *primo.* §. *ſed eas. Inſt. de bonorum poſſeſs.* Deinde verò nominatim Lege Theodoſii confirmatum *in l.un. C. unde vir. & uxor.* & renovatum *Auth. Præterea. C. eod. Novell. 53. 74. & 117. c.5.* Requiritur autem inter alia, ut juſtum & legitimum ſit matrimonium *l.1. D. unde vir & uxor.* Unde concubina excluditur. *arg. d. l.1.* Quid de ſponſa? & eam quoq; fiſco præferri benignius arbitramur, *arg. l.10. D. de jure fiſci. Gail. libr.2. Obſ. Pract. c.80. n.3. Adde VVeſemb. in Paratitl. D. de ſponſal. n.5. circa med. & t. ſeq. de ritu nuptiar. n.2. in fine, Forſter. in d. tract. libr.9. c.3. n.30.* Deinde, ne divortium ſit factum. *d. l.un. C. unde vir & uxor.* Tertio, ne conjunx conjugem interfecerit, vel eidem mortis cauſam præbuerit, etiam negligentia. *arg. l. ſi ab hoſtibus. 10. §.1. D. ſoluto matrimon. Forſter. d. loc. libr.9. c.3. n.35.* Et deniq; ne uxor intra annum luctus nupſerit. *Forſter. d. c. verſ.3.* (b) *Schneidvvin. in Comm. Inſt. in 4. ordin. ſucced. n.2. Gail. libr.2. Obſ. Pract. c.117.* (c) *Auth. Præterea. C. unde vir & uxor. Novell. 53. c.7. Novell. 117. c.5.* Quam quartam maritus tenetur uxori indotatæ teſtamento relinquere. *d. Auth. præterea. Auth. de exhibend. reis. § quoniam vero. Auth. ut liceat matri vel aviæ.* §. *quia vero legem.* Debetur enim ex neceſſitate. *Dd. comm. in d. Auth. præterea. VVeſembec. in Paratitl. D. unde vir & uxor. & ad*

t. D.

*t.D.Qui teſtam.facere poſſ.Forſter.dict.libr.9.c.5. per tot.Broncborſt.cent.3. ad ſert. 58.*

## XIX.

Tandem ſi hereditas defuncti à nullo horum (*a*) omnium ſit occupata, Fiſcus ſuccedit, ac tamen ſub conditione, ut bona (*b*) vacantia intra quadriennium adgnoſcat.

(a) Vel quod ex illis heres legitimus relictus non ſit, aut relictus quidem tempus à lege præſtitutum neglexerit. *l. 1. D. de ſucceſs.edict.* aut hereditatis incapax factus ſit, quod antiquiſſimo jure in bonis damnatorum ſimpliciter obtinebat, *t.t.D.&C.de bonis damnat.* ſecus hodierno. *Auth. bona damnatorum. C. de donat. inter vir.&uxor.* excepto eo caſu, ſi quis crimine læſæ Majeſtatis damnatus ſit. *l. quisquis.5.C.ad L.Juliam Majeſtat.l.f.D.eod.§.publica.Inſt.de public.Judic. Aurea Bulla Caroli IV. tit.de crimin.læſæ majeſtat.* Quod tamen ad hereditates, quæ filiis rebellium defertur, non eſt referendum, utpote quæ proximioribus ab inteſtato venientibus applicantur; cum nulla Lex ſit, quæ fiſco illos applicet. *Peregrin. de Jure fiſci, libr.3.t.9.n.1.Fachin.libr.9.Controverſ.c.36.* (b) *l.pen. C. de bonis vacant.l.1.§.2.D.de Jure fiſci.* ne bona absque Domino maneant, vel prædæ cujuslibet expoſita ſint. *Contius de hered. & bonor. poſſeſs. pag. 97. Schneidvvin. in Comm. Inſt.h.t. de ſucceſs. fiſci. n. 13.*

*FINIS.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-583324-p0017-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-583324-p0018-9

VD17

ULB Halle 3
002 673 282

+A -> OL

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-583324-p0019-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-583324-p0020-0

# DISPUTATIO JURIDICA
*De*
# SUCCESSIONI-
## BUS QUÆ AB INTESTA-
## TO DEFERUNTUR,

*Quam*

A. D. O. M.

*In celeberrima ad Albim Academia,*

PRÆSIDE

*Viro Clariß. atq; Conſultiß.*

Dn. CHRISTIANO Krembergk/
J. U. D. & Facultatis Juridicæ Aſ-
ſeſſore,

*Tueri conabitur*

JOHANN ABRAHAM à Sebottendorff/
Equ. Sil.

*Ad diem 4. Aprilis.*

WITTEBERGÆ,
E Typographéo SALOMONIS AUERBACHII.
ANNO M DC XXVI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-583324-p0021-6